L. Schmidt

Commentatio de parodi.

INDICES

LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARPURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM

INDE A D. XXIII. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI MDCCCLXXXIX

HABENDAE PROPONUNTUR.

Leopold Schmidt

Praemissa est *Leopoldi Schmidtii* commentatio de parodi et stasimi nominibus.

MARPURGI.

TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARPURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

In tanta mole librorum et libellorum ad antiquas litteras pertinentium, qui hodie scribi solent, sedulo prudenti homini cavendum videtur, ne praeter omnino necessaria quidquam typothetae tradat, atque a repetitione eorum quae iam dicta sunt quantum fieri potest abstinendum. Verum est ubi hanc legem migrare cogimur: nam si ea, quae olim recte demonstravimus, ab omnibus neglegi videmus, pridem inventa oblivioni eripiendi officio deesse haud licet. Atque id mihi quidem in eis potissimum accidit, quae de parodi et stasimi nominibus in Musei Rhenani volumine duodevicesimo p. 286—291 exposui: quem enim ibi errorem a Ferdinando Aschersonio commissum esse docui, in eo miro consensu usque ad hodiernum diem plurimi homines docti perseverant. Scilicet falsissime rem tractant, qui quasi editoribus tragoediarum praecepta daturi quaestionem proponunt, quid recte vocetur parodus et quid recte stasimum: immo qui fuerint inter veteres, qui his vocabulis usi sunt, et quid eis significare voluerint, unice indagandum esse semel monitus intellegit, quicunque ultra prima philologae scientiae rudimenta progressus est.

Iam vero etsi utrumque vocabulum neque Aeschylo neque Euripidi ignotum atque a Sophocle in libello *περὶ χοροῦ* aliquotiens adhibitum fuisse haud improbabiliter coniici potest, tamen quam vim hi poetae uni alterique subiecerint si quis hodie expiscari velit, vix felicius agat quam si investiget, quid Iuno cum Iove fabulata sit. Quod ne petulantius dictum videatur, non possum non in Museo Rhenano disputata in memoriam revocare. Scilicet horum verborum eadem est condicio atque eorum, quibus varia Pindari carmina designabantur quaeque Alexandrini demum grmmatici in artis usum ita verterunt, ut eorum ope certa carminum genera distinguerent: a quo distinguendi studio ipse Thebanus vates alienissimus fuerat, cum poemata in victorum honorem composita nunc *ὕμνους* nunc *ἐγκώμια μέλη* nunc *ἐπικώμια* nunc *ἐπινικίους ἀοιδάς* appellaret, cantico autem inter saltan-

dum prolato scolii nomen non denegaret. Neque id mirum videri debet. Nam ut nominibus considerate positis rerum diversitatem ratione et via significare ante Prodici doctrinam nemo Graecorum studuit, ita ne poterant quidem genera res multiplices complectentia eiusmodi nominibus discernere, priusquam definiendi ars exorta esset: haec autem constat quam sero apud Graecos-nata sit. Quam quod primus invenit. inter propria atque indubitata Socratis merita numerat Aristoteles: ante hunc vero qui fuerit animorum status, ob oculos luculente ponit Hippias maior dialogus, in quo cognominis sophista interrogatus, quid pulcrum sit, haec respondet (287e): *ἔστι γάρ, εἰ δεῖ τἀληθὲς λέγειν, παρθένος καλὴ καλόν.* Varietas autem formarum in eis quae poetae procreabant et ipsa tanta erat, ut per certorum nominum cancellos haud minore mentis contentione dispesci possent quam eiusmodi notiones morales definitionum terminis circumscribi: scilicet felici illa fecunditate, qua antiquiora saecula excellebant, graeca ingenia carminum species musicaeque exornationis figuras facile secundum occasionum argumentorumque diversitatem immutabant, sic inventa quibus vocabulis appellanda essent parum curantia. Unde factum est ut nec Pindarus victoris agonistae laudes cum deorum cultu sive cum defuncti hominis memoria coniungere nec Aeschylus embaterios rhythmos, qui plerumque choreutarum gressus subsequebantur, personarum curru vehentium motui adaptare vereretur.

At venerunt tempora, quibus non iam novas in dies poesis formas creare, sed olim inventarum origines et progressus scrutari, res secundum species et genera dividere, verborum notiones diligenter discernere graeca ingenia gestiebant, eaque ab Aristotele initium ceperunt: quo studio ducti non solum Alexandrini grammatici miram antiquiorum carminum varietatem suis ordinibus ascribebant, sed iam ante eos Peripateticae scholae philosophi litterarum historiae vias praeibant. Atque inter illustrissima huius studii monumenta ea verba sunt, in quibus parodi et stasimi nomina primo nobis occurrunt quaeque hodie pro duodecimo Poeticae Aristoteleae capite leguntur: unde quidem illius aevi indoles eximie elucet. Nam et ut iuste vocabula definiret et ut rerum observatarum multitudinem uno conspectu comprehenderet singulariter eorum auctor adnisus est, quod apparet quantopere conspiret cum Peripateticorum industria. Verum haec ut in universum facile intelleguntur, ita propius considerata illa verba plurimam praebent dubitandi materiam: nimirum et illud incertum est, utrum ab ipso Aristotele an ab aliquo posteriore eius sectae assecla profecta sint, et de eo ambigitur, quem poetarum tragoediarumque orbem hic auctor potissimum respexerit, et de singularum sententiarum interpretatione maximopere disceptatur. Quae difficultates unum eorum, qui accuratissime Aristotelem norunt, Joannem Vahlenium, moverunt ut prorsus ab eo capite manum abstineret: nam in editione Poeticae nihil ei adnotationis addidit, in symbolis autem ad Aristotelis Poeticam a. 1866 Vindobonae emissis (*Beitrr. zu Ar. P.* II) p. 12 haec scripsit: »*Es erhellt aber leicht, dass die Bezeichnung der μέρη τοῦ μύθου den Anlass gegeben, diesen einsmals frei stehenden Abschnitt von den μόρια κατὰ τὸ ποσόν der Tragödie an dieser Stelle einzuschalten. Ob und wo sich für denselben ein geeigneterer Platz in der Poetik ausfindig machen lasse, diese Frage ist von der anderen nicht zu trennen, ob wir es mit einem echten Stück Aristotelischer Lehre zu thun haben: diese*

aber nicht ohne eingehende Sacherklärung zu entscheiden, die hier vom meinem Wege abliegt«. Quodsi ab huius viri summa cautione Susemihlius et ego nonnihil recessimus, superamur tamen plerorumque eorum, qui in tragoediae compositionem inquirunt, confidentia: qui quidem consensum inter duodecimi capitis argumentum et suas de tragica arte sententias sibi demonstrandum esse opinantur.

Atque hoc caput quoniam eo quo nunc positum est loco continuationem sententiarum molestissime interrumpit, fuit tempus quo ego Stagiritae ita id vindicari posse putabam, ut ex alia parte libelli de Poetica huc translatum cogitaretur: at nunc non diffiteor a Susemihlio, qui in Musei Rhenani volumine duodetricesimo p. 327—336 prudentissime quaestionem tractavit, satis gravia contra hanc rationem argumenta prolata esse. Animadvertit enim vir doctissimus in Poetica, etsi ea haud paucis locis per temporum iniuriam gravia detrimenta ceperit, turbati tamen per totarum partium disiectum ordinis vestigia nulla comparere, praeterea autem similitudinem, quam inter capita duodecimum et duodevicesimum cernere mihi visus eram, minime talem esse, ut haec antiquitus coniuncta cogitari debeant, neque contrarium ex anonymo tractatu de comoedia evinci posse, cuius ordinem Aristoteleo parem esse probari nequeat. Necessario igitur duodecimum caput a genuina Poetica alienum iudicandum, illud autem in ambiguo relinquendum esse, utrum eius verba a Peripateticorum aliquo proprio Marte composita an in singulis transformata ex Aristotelis ipsius dialogo περὶ ποιητῶν excerpta fuerint. Certe utroque modo ea, quam verba capitis spirant et ob quam plurimum momenti habent, ad historiam artis attentio explicari potest. Quae attentio etsi manifesto agnoscitur, quaeri tamen potest num cum cognitione adeo plena omnibusque numeris absoluta coniuncta fuerit, ut omnem tragicae artis decursum inde a primis incunabulis respicere eorum auctor aut potuerit aut voluerit. Atque si eum ipsum Aristotelem fuisse sumitur, cavendum maxime hodierno scrutatori est ne nomine viri, in quo praeter summum ingenium summam et doctrinam et diligentiam fuisse constat, se in oblivionem eius diversitatis abripi patiatur, quae inter illius saeculi et nostrae aetatis studiorum rationem intercedit. Scilicet nos si vel olim lectorum partem aliquam retractare vel versus alicuius formam ad fidem verborum stabilire vel de ratione metra conformandi sive partes operis distribuendi ab aliquo poeta adhibita certiores fieri cupimus, commode instructos libros oculis celeriter perlustrantes nec raro indicibus adiuti brevissimo plerumque tempore ea invenimus quibus indiget investigatio nostra: id quod veterum litteratis longe deterius accidit. Hi enim voluminibus molestis atque ad singulos locos propere investigandos minime aptis utebantur: unde factum est ut inter eos memoriam magis sequi quam iteratam omnium exemplorum comparationem instituere deberet, quicunque quaestionem magno poematum vel aliorum operum numero superstructam tractabat. Id autem si in quam aliam in hanc quae est de tragoediae partibus quaestionem cadit, quoniam illius aetatis viri si de tragica arte universe agebant, non de triginta duabus fabulis sed de ingenti numero cogitabant, ut quae proponebant e generali imagine memoriae infixa magis quam ex identidem repetita omnium exemplorum perscrutatione petere cogerentur.

Quae cum ita sint, quaeri potest, utrum generalem eiusmodi imaginem an certum poetarum dramatumque numerum ante oculos habuerit qui duodecimum caput composuit, atque inde ex parte pendet singulorum eius verborum interpretatio. Iam cum ego et in commentatione de parodi in tragoedia graeca notione et in Iahnii annalium volumine septuagesimo quinto p. 713—725 antiquissimam tragoediae normam illi auctori obversatam esse propterea contendissem, quia secundum eius definitiones choricae partes pro centro et fundamento tragoediae sunt, reliquae additamentorum vices tenent, oblocutus est Westphalius in prolegomenis ad Aeschylum p. VII et p. 57—68. Is Sophoclis tantum et Euripidis aetatem ab eo respectam esse arbitratur, quia in horum poetarum superstitibus fabulis nullum stasimum exstat quod anapaestica systemata praemissa habet, id quod contra se habet in Aeschylo, ut praeceptum quod est *στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου* non ex huius sed ex illorum consuetudine petitum videatur. Atque haec argumentatio adeo imposuit Susemihlio, ut, etsi in supra commemorata Musei Rhenani commentatione mecum senserat, postea in commentariolo indici scholarum hibernarum Gryphiswaldensium anni 1873 praemisso p. 19 in Westphalii partes transiret. Atqui res ab hoc viro docto allatae contra meam rationem minime pugnant. Scilicet cum verbo fortasse minus felici usus capitis auctorem antiquissimam tragoediae speciem descripsisse dicerem, non id egi ut Phrynicheam et Aeschyleam aetatem Sophocleae et Euripideae opponerem, sed potius de originaria quadam norma cogitavi, a qua plerumque tragici poetae similiter deflexissent atque comici fecerunt in parabasi, neque ea res fugerat Susemihlium, cum haec scriberet (Mus. Rhen. 28, 334): »*Von einem solchen einseitig doctrinären Standpunkte aus erscheint die Ungeschicklichkeit nicht unbegreiflich bei Erklärungen stehen zu bleiben, welche für die Formen der späteren Tragödie innerlich und selbst äusserlich nicht mehr passten, ja bei welchen nur die allereinfachsten und regelrechtesten Grundformen vorausgesetzt sind, an welche nicht einmal Aeschylos durchweg sich gebunden hat*«. Atque huic normae, quae parodum mere anapaesticam vel trochaicam, stasima mere melica, in initio prologum et in fine exodum flagitat, inter tragoedias hodie cognitas aut respondent aut proxime saltem ad eam accedunt Sophoclis Aiax, Euripidis Hecuba, Aeschyli Agamemno — nam Agamemno quoque non iniuria ei respondere dicitur, modo anapaestica systemata in media hac tragoedia occurrentia a stasimis separentur —, longeque plures sic dispositas fabulas Peripateticorum aetate lectas fuisse facillime credi potest. Quo accedit quod proclive est satis frequentem illam ac magis artificiosam primi chorici figuram, quae embateria cum canticis alternatione implicata habet, ex hac simplici ac primaria specie ortam cogitare. Quodsi sic quoque dubitationes manere videntur, tantum affirmare licet, Westphalianam interpretationem longe maioribus difficultatibus impediri quam meam. Nam si eam sequimur, discrimen vocum *λέξις* et *μέλος*, quas consulto sibi opponi attentus lector illico sentit, fere ad nihilum redit, stasimi autem definitio ne omnino inanis sit, gravi verborum mutatione opus est. Ac primum quidem quod ad graecas illas quas dixi voces attinet, *λέξις* quoniam in quarto Poeticae capite *μέλει* ita contraria est ut diverbia a canticis, in sexto aeque atque

apud Aristoxenum et Aristidem Quintilianum ita ut verba a sonis musicis distinguat, patet rationem antitheti non unam solum esse, sed semper eas inter se adversas cogitari. Id vero hic quoque fieri haud dubie graecus homo intellexit, atque ob id ipsum fuerunt qui aut vocabulo *ῥῆσις* pro eo quod est *λέξις* substituto rem accuratius exprimere aut mutata parodi significatione ad eam definiendam illud quod est *ᾠδή* adhibere mallent. Praeterea si stasimi descriptio codicum Aristoteleorum verbis continetur, *λέξις* autem vocabulum, quae est Westphalii opinio, embateria et melica carmina simul comprehendit, prima cantica Oedipi Regis, Phoenissarum similiumque fabularum et sub parodi et sub stasimi notionem cadunt, quia eorum unumquodque et *πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ* est et *μέλος χοροῦ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου*, quam absurditatem ita tantum vir doctus effugere potest, ut post *μέλος χοροῦ* verba *τὸ μετ' ἐπεισόδιον* excidisse statuat. Verum sic duodecimi capitis auctori definiendi ratio obtruditur, qua vel Aristotelem vel eius discipulorum aliquem usum esse aegre tibi persuaseris. Putat enim Westphalius Sophoclem, Euripidem eorumque aequales hanc sibi quodammodo legem scripsisse, ut ab ea stasimorum forma, quae melicis strophis aliquot versus embaterios adiunctos habet quaeque apud Aeschylum sat saepe occurrit, severe abstinerent, atque illud in definiendo respexisse philosophum. Attamen inde, quod superstites viginti quinque tragoediae eiusmodi stasimis carent, non sine temeritate concluditur post Aeschyli aetatem omnino nullum eorum usum fuisse, sed ut id recte concludi concedatur, nihil saltem difficilius credi potest quam aliquem exeuntis quarti vel ineuntis tertii saeculi philosophum hanc rem in strenua plurimarum tragoediarum perlectione animadvertisse eandemque adeo gravem iudicasse, ut in brevissima stasimi definitione silentio eam praeterire nefas haberet. Immo, si quid video, verba *τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου* ita tantum suo loco posita sunt, si propriam vocabuli quod est *μέλος* notionem accuratius circumscribunt atque ipsam summam discriminis inter utrumque choricorum genus continent, id quod cum necessitate quadam eo ducit, ut nonnisi parodos embateriis rhythmis scriptas hic significari sumatur, vocabulum autem *λέξις* utpote ad has designandas unice idoneum ei quod est *μέλος* contrarium cogitetur. Quae res eo quoque confirmatur quod in ea parte maioris tractatus de comoedia, quae huic capiti respondet*), chori *ῥήσεις*, quam vocem pro *λέξει* substitutam esse apparet, et *μέλη* dedita opera discriminantur (*ἐπεισόδιον δέ ἐστι μέρος μεταξὺ μελῶν καὶ ῥήσεων δύο χορῶν*)**). Itaque etiamnunc in ea opinione sum nec de certa aetate nec de certis poetis hic agi, sed generalem aliquam descriptionis normam proponi, e cuius multiplici immutatione diversae illae, quas in tragoediis hodie cognitis observamus, species ortae sint.

Quodsi de hac opinione ne verbis quidem *κοινὰ μὲν ἁπάντων ταῦτα, ἴδια δὲ τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ κομμοί*, quae in duodecimo capite leguntur, deducor, causam in eis

---

*) Crameri Anecdd. Par. I, 8; Meinekii fragmm. comm. grr. II, 1240; Aristoph. comm. ed. Bergk I, XXXI.

**) Pressiora verba *μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν*, quae in duodecimo Poeticae capite leguntur, eo fundamento niti, quod post *λέξιν ἐμβατήριον* legitime *μέλος* sequi sumitur, monui in Iahnii annalibus 75, 723; cf. Mus. Rhen. 18, 289 adn.

aperui quae in Iahnii annalium volumine septuagesimo quinto p. 724 disputavi: ibi enim exposui haec verba a posteriore manu addita videri, quia nullo pacto eiusdem auctoris esse possunt qui scripsit *κομμὸς δὲ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*, mihique assensus est Susemihlius in Museo Rhenano necnon in eo quem p. VI significavi commentariolo Gryphiswaldensi p. 20. Nec tamen abs re est monere, qui ea scripsit eum ad *ἁπάντων* vocem neque *χορευτῶν* neque *δραμάτων* subaudivisse, sed *ποιητῶν*. Scilicet *χορευτῶν* intellegi, id quod iam in Iahnii annalibus a Kockio edoctus significavi *), vetant verba *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* quae sequuntur, *δραμάτων* autem qui propterea mente addi posse putant, quia in fine duodevicesimi capitis Poeticae legatur *εἰ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττοι ἢ ἐπεισόδιον ὅλον*, diversa miscent et obliviscuntur saepenumero substantivorum vices tenere neutra pronominum vel adiectivorum, siquidem cum praepositionibus iunguntur, cuius consuetudinis multa exempla Kruegerus in libro de grammatica graeca § 43, 4, 5 congessit, id autem in hunc locum non cadere. Quocirca si vera esset Westphalii sententia, illorum verborum auctorem tragoedias, comoedias et satyros una notione comprehendere voluisse, excidisse vocem *δραμάτων* statui deberet: attamen hac mutatione non opus habemus, quia nihil obstat quominus *ἁπάντων* genitivus ad personas menti lectoris ultro obvias referatur. Etenim quinque principales tragoediae partes omnibus poetis communes, monodias autem scenicas et commos nonnullis proprias fuisse sine difficultate interpolator aliquis haud nimium doctus significare potuit, qui histrionum cantica et choreutarum planctus aliquot poetis praecipue in deliciis fuisse animadverterat, nec tamen fabularum in quibus occurrunt numerum anxie perscrutatus erat. Quin immo si Arnoldtii opinio praeferenda esset, qui hoc enuntiatum a reliqui capitis duodecimi auctore proficisci potuisse ita probare conatur, ut postea sequentem commi definitionem gravem corruptelam passam esse ideoque cum illo antiquitus non pugnasse contendat, vel sic generalem tragoediae normam significari, non certae aetatis consuetudinem circumscribi statuendum foret: attamen credibilius est in hunc Poeticae locum non unius tantum interpolatoris verba irrepsisse quam, ut ille vult, post interpolatoris adiectionem rursus lacunarum detrimenta secuta esse **).

Verum de singulorum et interpretatione et emendatione quidquid statuitur, illud accuratius intuenti facile se offert, duodecimum Poeticae caput fontem et quodammodo archetypum omnium eorum esse, quae apud varios scriptores, apud Tzetzam necnon in scholiis de partium tragoediae nominibus leguntur. Neque enim ei solum ab illo capite profecti sunt, qui ibi exhibitis definitionibus usque quaque assentiebantur, sed ei etiam qui eas vel immutabant vel novarum notionum adiectione augebant, haud aliter atque

---

*) Non igitur me debebat Westphalius in prolegomenis ad Aeschylum a. 1869 emissis p. 8 et p. 14 ob opinionem a me abiectam impugnare, quae cur falsa esset, ipse iam anno 1857 indicaveram.

**) Proponit vir doctus (*Wissenschaftliche Monatsbll.* VI, 23—25) pro verbis *κομμὸς δὲ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς* haec restituenda esse: *κομμὸς δὲ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ὑποκριτῶν, τὰ δὲ ἀπὸ σκηνῆς ἴδια ὑποκριτῶν.*

ex archetypo alicuius scriptoris codice ei librarii haud minus pendent, qui eius menda coniecturarum atque additamentorum ope corrigere student, quam ei qui eum ad verborum fidem exprimunt. Duodecimi autem capitis circumscriptio cum haud quaquam ad omnes tragoedias quadraret, pars eorum qui postea id genus tractarunt eam additis aliis notionibus amplificare pars eam vocibus accuratius terminatis emendare pars eam aliquo modo varietati rerum quae apud poetas obversatur adaptare studuerunt, unde haud paucae dissensiones manarunt. Ac maxime quidem de parodi notione dubitabatur, quam, quia λέξεως vocabulo nimis anguste quasi circumcludi videbatur, fuerunt qui ᾠδήν appellare propter praevalentem poetarum consuetudinem mallent: praeterea autem de recte adhibendo illo nomine ita in diversas partes grammatici abierunt, ut nonnulli eis tantum carminibus id tribuendum esse putarent, quae inter ipsum chori in orchestram ingressum vel canuntur vel recitantur, alii parodum ibi quoque agnoscerent, ubi primum tragoediae canticum a choro post ingressum profertur, quae res apertissime e diversis iudiciis de Phoenissarum carmine *Τύριον οἶδμα κτλ.* (v. 202 sqq.) elucet. Nec defuisse etiam, qui verborum *πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ* vim anxie servantes, sicubi prima cantica alicuius fabulae commatice disposita erant, posteriori carmini parodi nomen tribuerent, e loco celeberrimo Plutarchi Moralium p. 785 a intellegitur, in quo tertium canticum Oedipi Colonei parodus appellatur: quod ut propterea factum esse apparet, quia duo quae praecedunt inter choreutas et histriones divisa sunt, ita dubitari nequit quin huius appellationis auctores, siquidem sibi constabant, Philoctetae quoque parodum a v. 676 et Orestis a v. 316 incipere sint arbitrati. Paullo minor de stasimis erat sententiarum varietas, in quibus, si exempla post introitum in orchestram canere incipientis chori omittimus, ita potissimum multi grammatici a duodecimi capitis definitione discesserunt, ut ab eorum genere carmina cum saltatione coniuncta separarent et hyporchematum sive orchesticorum appellatione designarent. Atque haec quoniam a me et in commentatione de parodi in tragoedia graeca notione et in Iahnii annalium volumine septuagesimo quinto satis superque exposita sunt*), non opus est ea hic pluribus persequi, nisi quod unum addendum videtur. Scilicet artis vocabulum, quo aliquod carmen significandum sit, apud tales tantum locos commemorari videtur, in quibus propter definitionum diversitatem nonnihil de eo dubitationis esse potest, nunquam autem, quantum observare licet, necessarium visum est grammaticis dedita opera monere, primum alicuius tragoediae choricum anapaestis compositum parodum sive canticum in media vel posteriore fabulae parte exstans stasimum appellandum esse. Atque id ipsum magis etiam illa studia illasque dissensiones illustrat, quarum vestigia in Tzetzae narratione, in eis locis, qui de primo Phoenissarum cantico diversa praecipiunt — scholia ad Euripidis fabulam dico et consentientem cum scholio ad Poeticam hypothesim Persarum —, necnon in undetricesima paragrapho maioris tractatus de comoedia deprehenduntur.

*) Praeterea comparari possunt cum Westphalii prolegomena ad Aeschylum, praef. p. VIII—XIX, tum diligenter compositus conspectus locorum huc pertinentium, quem Aschersonius in Iahnii annalium supplementis vol. IV, p. 430—441 exhibuit.

Attamen hodierni viri docti, qui de tragicae artis institutis agunt, horum vestigiorum immemores ita de his rebus disputant, ac si apud omnes qui graece loquebantur illorum vocabulorum semper eadem fuerit significatio, eaque ad posteriores per certissimam memoriam a priscis inde temporibus propagata. Veluti Westphalius (*Metrik der Griechen* II², 307; cf. *Theorie d. mus. Künste d. Hell.* III, 1, 243), etsi definitionum diversitas eum minime fugerat (*M.* II², 303; cf. *Th.* III, 1, 239), tamen quia primum Oedipi Colonei canticum choricum secundum Plutarchi locum non est ex genere parodorum, cui generi firmissimis, ut putat, testimoniis prima chorica cantica Electrae, Helenae, Troadum Euripidis necnon Electrae Sophoclis vindicantur, illud ab his usquequaque segregandum atque illud a singulis choreutis seorsim, haec ab universo choro coniunctim pronuntiata esse affirmare posse sibi videtur: qua in re si sibi constare vir doctissimus vellet, Phoenissas et Hippolytum Euripidis parodis carere ei statuendum esset, quia illarum primum canticum a scholiasta, huius ab Euclide stasimum appellatur. Quid? quod utitur vel abutitur potius notione testimonii, quae ut in quaestionibus ad rerum historiam pertinentibus dudum explosa est, ita in disputationibus de litteris antiquis immerito adhuc grassatur: etenim ut secundum iustae scientiae leges propositum perageret, fontes indicare debebat, e quibus sua hausisse illos quos advocat testes opinatur. Quodsi quis scholiastarum atque eorum grammaticorum, quos illi excerpserunt, rationes recte perpendit, facile agnoscit eos de choricorum actione haud certiora cognita habuisse quam de regione, e qua farciminum venditor in scenam esset ingressus, commentatores Aristophanis quibus scholia ad Equitum versum 149 debentur. Quid? quod omnino scholiis, eis etiam quae a doctis Alexandrinis originem ducunt, is tantum recte utitur, qui semper accurate distinguit, quid ex antiquitatis fontibus sibi patentibus haurire, quid ex ipsis tantum scriptoribus quos explanabant concludendo petere eorum auctores potuerint: quae res quia saepe neglegitur, haud raro pro genuinis narrationibus de antiquis rebus accipiuntur, quae sunt coniecturae grammaticorum. Unde Pindari potissimum scholia nonnunquam falso aestimantur: quae quia de victorum a poeta celebratorum vitae rationibus haud pauca proferunt, a multis ita haec tractantur, ac si illi homines a se scripta acta diurna reliquerint.

Quae cum ita sint, non possum non in ea sententia perstare, quam olim in Museo Rhenano pronuntiavi: »*Die Fragen der tragischen Technik gehen das klassische, die der Terminologie das nachklassische Zeitalter an: ihre Vermischung kann nur verwirrend, nicht aufhellend wirken*«. Ac de ipsa quidem superstitum tragoediarum institutione scenica Westphalios, Muffios, Arnoldtios multa sollerter et erudite disputasse libentissime profiteor, verum felicius hos viros officio functuros fuisse contendo, si singillatim quaerere supersedissent*), quo nomine quodvis chori carmen esset appellandum vel ubi limes inter parodum sive stasimum atque episodium constituendus. Tales enim quaestiones non solum ad vigentis poesis saecula transferunt, quae sunt Peripateticorum et grammaticorum

*) Ceterum silentio praeterire nolo, Myriantheum, qui et ipse in libro »*die Marschlieder des griechischen Drama*« utilia multa attulit, paullo minore quam reliquos qui de his rebus agunt artis vocabulorum superstitione teneri.

Alexandrinorum, sed etiam illud damni habent, quod poetas antiquitus proditae dispositionis quasi vinculis obstrictos ostendunt atque ei libertati, qua scenicam adornationem pro re nata argumentis consiliisque fabularum adaptabant, caliginem obducunt. Non invitus autem illorum virorum studia sagaci doctissimi amici Eduardi Luebberti de priscae cuiusdam epiniciorum formae apud Pindarum vestigiis commentationi Bonnae a. 1885 editae comparo, in cuius posteriore parte auctor varias transitionis species quibus poeta Thebanus utitur egregie illustravit, verum, ut dicam quod sentio, et rei et lectoris persuasioni melius consuluisset, si aliunde arcessitis archae, omphali, catatropae et quae sunt reliqua nominibus abstinuisset.

Possem hic finem imponere disputationi, nisi unum superesset, quod ad stabiliendam eam parodi notionem, quam in duodecimo Poeticae capite inesse significavi, ita confert, ut praeteriri nequeat. Scilicet verba *ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου*, quae secundum Westphalianam sententiam stasimi definitioni praeter necessitatem addita sunt, secundum meam ipsum cardinem discriminis inter duo choricorum genera continent, illud aperte demonstrant non solos dimetros anapaesticos sed nonnunquam etiam tetrametros trochaicos embateriorum vice functos esse. Ac primum ut de forma orationis dicam, quod Westphalius (*Prolegomena* p. 60) *ἄνευ ἀναπαιστικοῦ καὶ τροχαϊκοῦ* rescribendum esse opinatur, eo minime opus esse iudicabit, qui et Semi effati apud Athenaeum 14, 622b *ὕστερον δὲ ἴαμβοι ὠνομάσθησαν αὐτοί τε καὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν* et Ciceroniani dicti »nec siletur illud potentissimi regis anapaestum« (Tusc. 3, 24, 57) et illius a Suida s. v. *τροχαῖον* allati *τροχαῖόν τι συμβοήσαντες* meminerit. Rem autem illud in primis illustrat, quod in haud paucis et tragoediis et comoediis tetrametri trochaici celeriter procedentium sive histrionum sive choreutarum motus subsequuntur, cuius rei exempla in libris de arte metrica Westphalius (II², 451. 452) et Christius (p. 300. 301) congesserunt, embaterius autem huius metri usus dubitari nequit quin multo latius patuerit. Etenim ut inter ea de quibus dixi exempla minime desunt leviora indolis discrimina, quia in nonnullis, ut Ar. Ach. 204, Soph. OC 887, laboriosa, in aliis, ut Ar. Thesmoph. 659, agilis festinatio cernitur, ita omnino animadvertendum est inter omnia versuum genera, quae dives graecorum poetarum vena procreavit, aliud nullum esse quod tam multiplices species assumpsit tantamque ethicae rationis varietatem admisit ac tetrameter trochaicus. Quod metrum vehementer erret, si quis propter Aristotelis sive Pseudoaristotelis in Rhetorica III, 8 et Dionysii Halicarnassei in libro de compositione verborum c. 17 iudicia semper leve et humile fuisse arbitretur. Immo in eo miram varietatem fuisse, secundum quam, prout sive theses producebantur sive arses vel hoc vel illo loco solvebantur — neque enim a me impetrare possum, ut in horum vocabulorum usu inde a G. Hermanno et Boeckhio receptam consuetudinem deseram —, nunc grave et sedatum nunc velox nunc humile et paene vacillans erat *), facile intelleget qui has formas inter se comparaverit:

---

*) Eam rem veteres technicos et ipsos non latuisse docent quae de hoc metro Marius Victorinus (II, 5) exponit, quanquam ille in singulis non vacat erroribus.

θεοῦ μὲν εὐνάτειρα Περσῶν, θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ ἔφυς (Aesch. Pers. 157),
πότερα γὰρ τοξουλκὸς αἰχμὴ διὰ χερῶν αὐτοῖς πρέπει; (Aesch. Pers. 239),
ἐπὶ τί γάρ μ' ἐκεῖθεν ἦγες; ἵν' ἀκολουθοίης ἐμοί (Ar. Av. 340),
οὐδὲ μεθύω τὴν φρόνησιν, ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον μόνον (Alex. fr. 276).

Scilicet ubi maior erat productarum thesium numerus, singulare quoddam pondus addebatur rhythmo qui sine admixtis spondeis cursui aptissimus esse visus est: ubi autem arses solvebantur, multum intererat quibus id locis fieret. Etenim etsi omnis longae arsis in duas breves syllabas conversio ictum aliqua ex parte debilitat, tamen quo fortior propter locum quem in metro tenet ictus est, eo minus haec debilitatio sentitur, unde fit ut primus et quintus tetrametri trochaici pes utpote in hemistichii initio positi cum multo minore ponderis detrimento arsis solutionem admittant quam reliqui: quocirca quanquam Persarum versus 239 non minus duas arses solutas habet quam is quem ex Alexide supra attuli, tamen ille gravitatem servat, hic abiicit. Atque ex his suam lucem illae diversitates accipiunt, quae in usu poetarum dudum observatae sunt. Scilicet secundum ea quae ad Epicharmi consuetudinem spectantia olim ego in quaestionibus Epicharmeis p. 6—17 et ad Atticam nuper Rumpelius in Philologi tomo duodetricesimo p. 428—434 congessimus, Epicharmus non solum septimae arsis solutione, quam reliqui omnes perparce admittebant*), singulariter delectabatur, sed etiam eas arses quae sunt in paribus sedibus non rarius quam primam et quintam in duas breves mutavit, quod contra Aeschylus haud multum abest quin solutionem solummodo primae et quintae arsis finibus continuerit, Euripides autem et Aristophanes, quibus mediae et novae comoediae poetae similes fuisse videntur, intermediam quandam inter Epicharmeam et Aeschyleam rationem secuti sunt. Simul illud Alexidis fragmentum, ex quo unum antea versum desumpsi quodque per frequentiam solutionum in paribus sedibus admissarum vacillantem quodammodo ebrii hominis orationem imitatur:

οὐδὲ μεθύω τὴν φρόνησιν, ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον μόνον,
τὸ διορίζεσθ' οὐ βεβαίως τῷ στόματι τὰ γράμματα,

satis docet vel quotidianae locutionis varietates tetrametrorum conformatione in Attica poesi nonnunquam exprimi potuisse. Quodsi quae generaliori observationi se offerunt comprehenduntur, apparet Epicharmeos tetrametros communis vitae humilitatem reddere, Aeschyleos grande quid et sublime spirare, illos cum Dionysiana et Aristotelea descriptione vel maxime concinere, hos ab ea mirifice recedere. Quae cum ita sint, si Aeschylus tetrametrum trochaicum in embateriis adhibuit, ea quoque dubitari nequit quin sollemni quadam gravitate insignia fuerint atque a cursilibus illis ac velocitatem significantibus perquam diversa, quae apud Euripidem et Aristophanem haud raro reperiuntur. Nec repugnem, si quis pro specimine eius rationis, qua Aeschylus embaterios trochaeos composuit, Persarum versus 155—175 tamquam inter motum currus quo Atossa vehitur

---

*) Cf. quae de variorum poetarum rationibus l. c. p. 6—10 exposui, ubi quidem Aristophanis versum Av. 276 omittere non debebam.

recitatos afferat: quanquam illud profecto dubitationem movet, quod iam anapaestici versus qui praecedunt 150—154 pariter atque illi qui sunt in Prometheo 120—127 et in Agamemnone 783—809 ad currus progressum accommodati esse videntur. Verum de hoc quidquid statuitur, tantum elucet, tales trochaeos quales Aeschylus componebat sollemni chori in orchestram ingressui non minus aptos fuisse quam anapaestos idemque in proclivi esse de Phrynicho coniicere, ut qui sine praeiudicata opinione rem considerat fere ultro in hanc sententiam feratur, obversatam esse animo eius qui duodecimum Poeticae caput scripsit simplicem tragoediae formam, in qua introitus chori inter sola embateria fiebat. Quae quia non canebantur, sed in modum melodramatis quod hodie vocari solet recitabantur, verbis quae sunt *πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ* ea circumscribit auctor eisque ea carmina opponit, quae utpote a choro cantata rhythmis mere melicis continentur ideoque sunt *μέλη χοροῦ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου:* illis parodorum, his, quia inter ea chorus non iam progreditur sed locum in orchestra tenet, stasimorum nomen tribuit.

